

conati sunt. In quâ sententiâ est Dn. Jacob. Martin. l. 2. part. Metaph. sect. 2. th. 4. & l. 2. exerc. 4. th. 1.

20. Constat ergo primum, nempe DEUM naturalitèr cognitum esse: ubi nihil moramur clamores & cyclopicas exhibitiones modernorum Photinianorum, qui hoc præfractè negant, sed positis fundamentis contenti, turpe ducimus, ex omnium rerum Domino atque dictatore, intellectu nostro, efficere mancipium alienæ libidinis, Scaliger exerc. 6. sect. 4. Dispiciendum nunc est de altero, in quâ disciplinâ de DEO tractari debeat.

21. Ad quam quæstionem duplicitèr respondere possumus: Primò quidem ex opinione, atque sic considerationem ejus ad primam Philosophiam commodiùs quàm ad aliam disciplinam referri nullum est dubium; maximè enim affinis est illius objecto, tum propter summam simplicitatem, tum propter absolutam primitatem in essendo. Deinde secundum veritatem, & ita omninò certæ alicui & distinctæ à reliquis disciplinæ accenseri debet; continetur namque sub subjecto aliquo, quod & materialitèr & formalitèr à reliquis disciplinarum subjectis distinguitur, & per consequens distinctam disciplinam parit.

Ubicunq; enim res diversa & diversus considerandi datur modus, ibi datur diversa disciplina.

Atqui hîc datur diversa res & ratio formalis ab aliis distincta, nimirum Spiritus quâ Spiritus.

Ergo datur diversa disciplina.

Præterea habet hoc subjectum suas affectiones, & aptum est contrahi per modos, nempe per increatum & creatum, ad DEUM, Angelos & animam rationalem; neq; in ullâ aliâ disciplinâ vel affectio, vel modus, vel species saluari potest.